DE

MORBIS SALUTIFERIS

aphorismi.

Strehler.

1830.

DE

MORBIS SALUTIFERIS

APHORISMI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM,

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE MONACENSI

LUDOVICO-MAXIMILIANEA,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

TRADIT

MAXIMILIANUS JOSEPHUS STREHLER,

Beilngriesensis, Franco,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTOR.

WIRCEBURGI, 1830.
TYPIS BAUERIANIS.

Malum nullum sine aliquo bono.

Plin. XXVII, 3.

BENE FACTORIBUS SUIS

PERPETUO VENERANDIS

HASCE PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Plebis est, numerare morbos, qui stragem edunt; prudentiorum, adtendere ad illos, qui majus post se valetudinis robur relinquunt.

J. E. Wehrkamp (praes. G. G. Richter) 1747.

PRAEFATIO.

Conscripsi dissertationem inauguralem medicam, legibus academicis, quantum fieri posset, satisfacturus: quem in finem methodum elegi aphoristicam, ut, quae de morborum salubritate experientia nos docuit, notabiliora proponerem.

Venia detur juveni, qui parum adhuc expertus, ex proprio fonte hac in re haurire non potuit.

Quidquid ergo adblandiri videbatur, ex celebriorum medicorum scriptis meum in apiarium congessi; nam mihi apum et mos, et labor et fructus placent, ac nemo — ut ait Cassiodorus — justius assidue legit, quam qui de humana salute est sollicitus.

Erunt forsitan, qui mihi obprobrio vertant, quod rem a multis jamjam autoribus exaratam

pro dissertationis themate resumserim. Quibus ego respondendum esse censeo, detestandam medicorum *πολυπραγμοσύνην* omnia clarissimorum virorum de morbis salutiferis praecepta nimis adhuc negligere, et medicatricia naturae per morbos conamina imprudenter subprimere: ut ergo succincta observationum veterum ac recentiorum expositio utilitate carere nequeat.

Auctorum, qui rem nostram tractaverunt, enumeratio.

I. Auctores, qui speciatim de morbis salubribus scripsernnt:

Hippocrates, praesertim in aphor.

Menapius, de laudibus quartanae.

I. Major, diss. de febr. artif. Kilon. 1666.

H. Smetius, in misc. med. L. 7. ep. 1.

W. Wedelius, de nat. morb. med. In exerc. med. phil. 10. Cent. D. 5.

F. Schrader, resp. D. v. Kramer, de morb. quorund. salubr. Helmst. 1692.

Weide, diss. de morbo auxil. Lugd. Bat. 1695.

Cohausen, Archeus febrium faber.

I. A. Slevogt, progr. de nat. morb. per morb. curatrice. Jen. 1700.

F. Hoffmann, resp. F. Camel, diss. de salubr. febr. Hal. 1702.

G. E. Stahl, de autocratia naturae.

Hornung, de morb. morb. remed. Altdorf. 1708.

A. Quir. Rivinus, de morb. aux. Lips. 1710.

A. Brendel, resp. Reichel, diss. de eo, quod et quomodo plurimi morbi curentur novo morbo per artem inducto. Vitemb. 1718.

Weger, diss. de morb. salut. Regiom. 1720.

M. Alberti, diss. de salubr. morb. Hal. 1723.

— — de arte sanandi per morbum.

— — de nat. morb. med.

Hilscher, progr. II. de sensu corp. sanitatis conserv. et reintegr. consiliario. Jen. 1729.

Preisler, de podagra, c. h. conserv. Marb. 1730.

Veiga (medicus Lusitanus) de nat. febr. excit. sapientia.

Osterdyk Schacht, morbus remedium etc. Trajecti ad Rhen. 1733.

Hoffmann, de nat. morb. med. mech.

M. Alberti, de consuet. et insuet. aegrotandi. Hal. 1733.

P. G. Werlhof, op. med. Hanov. 1734.

I. W. Martini. disp. de arte febr. inferendi. Helmstad. 1735.

I. H. Schulz, resp. Schaffner, diss. de mech. nat. med. in vuln. persan. artif. Hal. 1735.

C. G. Richter, diss. de nat. se ipsam nunc vindicante, nunc destruente. Gött. 1737.

H. Volkamer, diss. de dol. dol. remed. Altorf. 1739.

C. E. Hamberger, resp. I. Schunn, diss. de morb. per morb. curatione. Jen. 1746.

G. G. Richter, resp. Wehrkamp, nat. morb. per morb. victrix. Gött. 1747.

Büchner, de aegrot. inappet. salut. et morb. Hal. 1749.

— — diss. de cel. increm. corp. post febr. Hal. 1752.

G. R. Boehmer, resp. I. T. Boehme, diss. de febre remed. Vitemb. 1754.

Niecky, de morb. salut. ratione rite adplicanda. Hal. 1755

I. Junker, de util. dol. Hal. 1757.

Cambalusier, danturne morbi sal.? Par. 1758.

D. G. Baldinger, Diss. de effect. salut., qui fiunt in morbis. 1763.

I. F. Cartheuser, de morb. morb. remed. Francof. ad Viadr. 1763.

Baigneres, de meth. med. morbis diss. Jen. 1767.
— — — Ergo dantur morbi salut.? Paris. 1774.

A. E. Büchner, diss. de salut. et nox. dol. effect. Hal. 1768.

Hartmann, de nat. c. h. morb. proflig. Francof. 1769.

G. Detharding, diss. de morb. med. per morb. Buctzow. 1770.

A. G. Platz, diss. de med. morb. faciente. Lips. 1776.

De Belgariac, diss. an in morb. chron. febr. sit excit. ad eor. cur. Monspell. 1783.

G. C. C. Storr, diss. de efficacia insit. scab. in grav. quibusd. morb. chron. san. Tubingae. 1781.

C. L. Dumas, memoire couronné etc. Montpell. 1787.

A. Puyol, diss. sur l'art d'exciter ou de modifier la fievre pour la guérison de maladies chroniques.

F. R. Mezler, über die Vortheile des Fiebers in langwierigen Krankheiten. Ulm. 1790.

Maizier, diss. de instinctu. Hal. 1796.

A. Röschlaub, Mag. z. V. d. M. VII. p. 242 et V. 1. 2. St. Mag. d. Heilk.

D. Raymond, traité des maladies, qu'il est dangereux de guérir. A Paris. 1816.

C. E. C. Richter, diss. de san. morb. per morb. Vratisl. 1820.

C. L. Klose, über Krankheiten als Mittel der Verhütung und Heilung von Krankheiten. Breslau. 1824.

A. Sobeczko, diss. de morb. sal. Vrat. 1825.

D. A. Schülzki, diss. de febr. morb. remed. Vrat. 1825.

II. Auctorum passim morbos salubres tangentium tantus est numerus, ut quosdam nominasse sufficiat.

Hippocrates, Galenus, Celsus, Avicenna.

Boerhaave, Sydenham, F. Hoffmann, Goelick, Berger, Schacher, Wedel, Meibom, Heister, Schelhammer, I. Andr. Schmidt, Valentini, Bianchi, Bontekoe, Camerarius, Campanella, Fr. Torti, Bohnius, Helwig, I. I. Chüden, Stisser, Solenander, Reies, Gilibert, Hebenstreit, Sonat, Virey, Selle, J. P. Frank, J. Frank, Vogel, Reil, Brandis, Henke, Malfatti, Lucae, Burchard, Gmelin, Osiander, Wendt, Haase, Conradi, Hufeland, V. ab Hildenbrand, Puchelt et alii.

INTRODUCTIO.

1. Complures sunt morbi, quos merito salutiferos nominare consuevimus. a)

2. Eos nimirum hac voce condecoramus morbos, qui conspicuam corpori humano utilitatem, aut plus tamen salutis, quam detrimenti adferunt.

3. Tales morbi aut aegrotantibus, aut valetudinariis, aut sanis ipsis accidere possunt.

4. Praesentes enim nunc aegrotationes fugant, mitigant, salubriter alterant; nunc futuras praecavent, dispositionem morbosam tollunt aut corrigunt; nunc statum s. d. valetudinarium in plenam sanitatem convertunt; nunc tandem multo meliorem, quam antea fuit, post se relinquunt valetudinem.

5. Morbi illi salubres provocantur saepifsime ab autocratia naturae (φύσιος ἰητροῦ), rarius ab arte imitante.

---

a) Jam Hippocrates morbos in bonos et malos dispescit (de dieb. crit.). Eodem modo Boerhaave morbos salubres agnoscit. (Path. 736.) Sic sexcenti alii.

6. Si enim ad morbum aliquem sanandum vel tamen mitigandum alias actiones morbosas excitamus, quid tandem aliud agimus, nisi naturam (medicatricem) imitamur? Quodsi certius nossemus, qua ratione morbis natura medeatur, profecto plures essent morbi salutares, quos arte proliceremus. a)

7. In varias autores sententias abiverunt, ut, quomodo morbus prodesse possit, explicarent. Ardua res est, et nondum satis perspecta: quam ego creberrime sic se habere autumo:

a) Morbus recens ortus tantam habet cum jam praesente aegritudine adfinitatem, ut hanc quasi adtractam absorbeat: quod quidem summo erit emolumento, si hac ratione morbus prior ab organo nobiliori ad ignobilius transferatur, et ibidem cum novo morbo exstinguatur. Aut

b) ex novi morbi in organismum aut jam aegrotantem, aut male dispositum actione status quasi tertius (s. d. neutralisatio) efficitur, quo vel materies heterogenea eliminatur, corrigitur, debilitatur, vel dispositio alteratur, vel tandem utrumque praestatur.

Inde patet, nunc derivatione vel excretione, nunc virium vitalium incremento vel decremento, nunc antagonismo sanitatem reduci.

8. Concedendum quidem, multos morbos nobis salubres dictos nil, nisi beneficium miserabile adpellandos esse: sunt tamen beneficium, quo milleni mortalium carere nequeunt, quin summa vitae ac salutis pericula incurrant.

---

a) Reil, allg. Ther., et ejusd. Cur d. F.

9. Sed tantum abest, ut morbos adeo celebratos semper et ubique salutem adferre contendam, ut potius eosdem haud raro summum damnum injicere posse nullus dubitem, quum tristis experientia et ipsa rerum naturae ratio hoc doceat.

10. Sunt tamen morbi quidam, nec pauci, quibus κατ᾽ ἐξοχὴν salubritatis laudem concernere debemus, uti patebit ex aphorismis nostris.

11. Obponere quidem licet, morbos salubritatis nota insignitos neutiquam semper, quia adsint, hac laude dignos esse, quum crisis fausta etiam sine istis intrare possit, imo saepius jam intraverit; ut ergo morbi illi accessorii nil, nisi comites criseos faustae declarandi sint. Quod equidem haud prorsus denegaverim: sed ubique hanc sententiam valere, nunquam dabo, quum critica febrium, exanthematum atque evacuationum variarum dignitas securitate atque celeritate confirmetur, qua morbos pertinacissimos, per se nunquam solvendos, miraculi ad instar profligarunt.

12. Erunt, qui me vituperent, quod hinc inde symptoma cum morbo miscuerim. Nec ego hoc diffiteor, sed veniam mihi fore haud despero, quando, symptoma tanta salubritate stipatum non inmerito dignitate sua augeri, et inter morbos salutiferos numerari, consideraverint, atque, quam difficile sit, symptoma et morbum semper et ubique rite distinguere, meminerint.

GENERALIA.

13. Morborum salutarium plurimi aetatem infantilem exercent; quibus potissimum adnumerantur morbi s. d. evolutionis — molimina organismi majorem perfectionem

adquirendi: unde magna ad turbas functionum dispositio. a)

14. Status, s. d. valetudinarius (continua sanitatis per totam vitam vacillatio, debilitas habitualis, infirmitas continua) in causa esse solet, ut multi morbi, a quibus robustiores trucidantur, a debilibus, infirmis (valetudinariis) facilius et diutius ferantur, imo saepissime superentur.

15. Habita jam diutius cum morbis variis consuetudo, minusque vehemens ac tumultuosa contra causas morbificas reactio rem magna pro parte explicare videtur. b)

16. Sunt anomaliae in corpore humano, a quibus haud raro sanitas relativa pendet; quas si tollere tentaveris, res in pejus ruent. Talis ergo prophylaxis summopere carpi meretur.

17. Dispositiones morbosae interdum morbis accedentibus, praecipue acutis, forti febri stipatis, corriguntur, imo radicitus extinguuntur.

18. Latior morborum per corpus aegrotantis expansio ob eam causam non raro salutifera est, quod major organismi contra res nocentes vel morbum ipsum reni-

---

a) Equidem ex sola corporis evolutione (et involutione) morbos oriri nego; nam evolutio est status naturae plane consentaneus. Sed quoniam in tali statu major adest ad morbos dispositio, exigua potentia nocenti opus est, ut morbi generentur diversi, quos generali nomine morbos evolutionis nuncupare jam dudum libuit. — v. Klose, p. 46 ss. — Henke, über die Entwickelung und Entwickelungskrankheiten. — Schmitt, die Organisationsmetamorphosen. Diss. inaug. Wirceb. 1824.

b) M. Alberti, de consuet. et insuet. aegrot. Hal. 1733.

tentia provocatur. Idquod praesertim locum habet in febribus. a)

19. Actio organi cujusdam, imprimis secretorii, vicario modo aucta ob subpressam vel inminutam alius organi functionem saepe unicum sanationis remedium.

20. Irritabilitate exaltata, quin usque ad statum febrilem evecta, corpus ita disponitur, ut minus aptum sit seminibus morborum, praecipue contagiosorum, recipiendis.

21, Et facta per artem secundaria irritatio primariam interdum auferre posse videtur. b)

22. Crises non solum in febribus observantur, sed et alii morbi non febriles, chronici, haud raro vera crisi solvuntur, e. g. exanthemate, abscessu, impetigine, aliis excretionibus.

23. Metaschematismi morborum saepenumero salutares. c)

24. Nec est, quod complicationes ipsas adeo timeamus, quum multi summam exinde utilitatem emersisse enarrent. d)

25. Sic acutus morbus chronico accedens, praecipue febris — saepe sanationem mali inveterati perficere valet; quemadmodum haud raro morbis somaticis aegritudines psychicae tolluntur.

26. Non pauci cum Avicenna valdopere errant, qui

---

a) Brandis, Versuch über die Metastasen.

b) P. Frank, V. §. 375.

c) E. Stahl, Hebenstreit, Brendel, Sonat, Klose — de metaschem. morb.

d) A. Q. Rivinus, de morb. complicat. disp. — Rod. Castrensis, tract. de complexu morborum. — Klose l. c.

omnes recidivas, quocunque modo fiant, malas esse conclamitant. Nam saepe accidit, ut unica salus ex recidiva arrideat. a)

27. Etenim v. g. orta ex imperite subpressis febribus symptomata, infarctus viscerum abdominis, inflationes hypochondriorum, asthmata, pedes oedematosi, imo incipientes hydropes — accedente rursus febri, praecipue intermittente, feliciter plerumque sublata sunt.

28. Sic exanthema vel impetigo subpressa si de novo efflorescit, ex re est. Tali enim ratione certissime materies morbosa ad ejectionem praeparabitur, obstructiones resolventur, alii morbi devincentur.

29. Magnun itaque morborum genus, quos producere interdum medici est, sunt morbi subpressi resuscitandi, si ex subpressis majus minetur periculum, quam e manifestis. Huc potissimum spectant secretiones et excretiones subpressae, sive normales, sive abnormes; impetigines et exanthemata retropulsa aut retrogressa, omnis morbi alicujus metastasis et metaschematismus, si inde vis mali crescat. b)

FEBRES.

30. Stat in experientia et praxi firmum, uti alibi, ita etiam in febribus praecipue naturam humanam — quamvis facile et saepe erret et labascat, saepius tamen medicam esse, motibusque febricosis ipsis, licet morbosi

---

a) Aug. Quir. Rivinus, de recidiva diss. Lips. 1710. — P. G. Werlhof, Klose.

b) C. E. C. Richter, de sanandis morb. per morb. Vratisl. 1820.

esse videantur, ita uti, ut sponte materiam corrigat, avertat, eliminet; imo fieri haud raro, ut alias aegritudines feliciter expellat.

31. Bene ergo Sydenham febrim naturae instrumentum esse dicit, quo partes impuras a puris secernat. Et Boerhaave, Febris, ait, effectus est celerior liquorum expulsio, propulsio, stagnantium agitatio, omnium permistio, resistentis subactio, coctio, crisis ejus, quod febrem produxerat.

32. Quibus clarissimorum virorum effatis si verba E. Stahlii »febrim in se et absolute spectatam nihil esse, nisi motum naturae, per secretiones et excretiones materiae nocivae, ad conservationem corporis tendentem« addidero, neutiquam ille sum, qui omnes febres salutiferas esse contendam. Sed pauca tantum de frequenti febrium salubritate proponere mihi liceat.

33. Febres continuae (synochales) primum salubritatis locum obtinent; sequuntur intermittentes, in quibus primas sibi laudes quartana apud veteres a) demeruit. Negant hoc recentiores, et tertianam multo securiorem atque salubriorem esse perhibent. Quotidianas merito Galenus longas esse, et non sine periculo adfirmat.

34. Morborum per febres sanatorum tanta est multitudo atque varietas, ut singulos enumerare nequeam. Mentionem facere lubet catarrhorum chronicorum, morborum ex labe abdominali ortorum, impetiginum, dysmenorrhoeaé, chloroseos, hydropis, scrofularum, dysu-

---

a) Hippocrates (Coac. praenot. 159), Galenus, Menapius, Gellius, Reies, Campanella, alii.

riae, ulcerum pertinacium, morborum nervosorum a), adynamicorum, epilepsiae, apoplexiae recentis, paralyseos, maniae, e. i. p. b)

35. Febris sub morborum mentalium initio adgrediens illos nonnunquam tollere valet; quodsi sero intraverit, nonnisi suspendet vel mitigabit per aliquod tempus vesaniam. c)

36. Quae febres intermittentes vernali tempore homines invadunt, saluti esse solent; depurant enim corpus, ut quasi recrementa per autumnum atque hiemem collecta evacuentur, obstructiones tollantur, e. i. p. d)

37. Ceterum tales febres depuratoriae etiam alio tempore accidere possunt.

38. Corporis evolutiones plerumque febri junguntur, eaque saepissime feliciter absolvuntur. e)

39. Febribus diversis corpus humanum ita praeparatur, ut novis, quas nondum adiverat, regionibus adsuescere possit.

40. Tantum abest, ut febres nervosae semper exitio sint, ut potius meliorem saepe sanitatem post se relinquant f), imo varios, qui prius aderant, morbos, im-

---

a) Hipp. aph. II. 26. VI. 51. — Celsus. Boerhaave. — Stoll.

b) Gonorrhoeae secundariae pertinacis per febrem accessoriam sanatae cl. I. Wendt (die Lustseuche) mentionem facit.

c) P. J. Schneider, Entwurf zu einer Heilmittellehre gegen psychische Krankheiten. Tübingen, 1824. — Nord. alii.

d) Primerosius (de error. vulg., II, 31) febrem vernalem medicinam cognominat rege dignam.

e) Büchner, diss. de cel. increm. corp. post febr. Hal. 1752. Henke, l. c. — Cf. aph. 13, 155, 156, 157.

f) Val. ab Hildenbrand, über den ansteckenden Typhus.

primis nervosos, epilepsiam, vesaniam, radicitus exstinguant. a)

41. Inde pronum est, non omnes febres praecoci medicina fugandas, sed frequenter omni circumspectione fovendas, revocandas, imo accendendas esse. b)

INFLAMMATIONES.

42. Multa saepe per inflammationes, praesertim in morbis s. d. chirurgicis, natura beneficia praestat. Inflammatione enim c) celeris vulnerum reunio; ossium fractorum conjunctio; fistularum sanatio; tunicae vaginalis cum testiculo, sacci herniae inter se concretio; partium emortuarum a vivis separatio efficitur. d)

43. Nec minora sunt oriundae ex phlogosi suppurationis emolumenta, utpote qua vulnus a noxiis influxibus externis defenditur, partes amissae restituuntur, corpora peregrina ejiciuntur, tumores varii pertinaces liquefiunt, e. i. p.

44. Gangraena ipsa, glandulas et partes externas invadens, ex re est, si in febribus malignis contingit. e)

45. Inflammatio cutis per rubefacientia atque vesicantia producta derivando, revellendo, excernendo haud exigui in morbis partium internarum periculosis momenti, e. g. in febribus nervosis, rheumaticis, diarrhoea rebelli, arthronitide, ophthalmia, in omnibus fere organorum

---

a) J. Frank, Erläut. zur Erregungstheorie. — Vering. Klose.

b) Hippocrates, epidem. 2. — Celsus.

c) vel tamen statu inflammationi proximo.

d) Reil. — S. Schaffner, praes. J. H. Schulz, de mechan. nat. med. in vuln. persan. artificio. Hal. 1735.

e) cf. aph. 26 de metaschem., et aph. 48, 158.

nobilium inflammationibus, dysmenorrhoea, cephalaea, aliis malis compluribus.

46. Huc referenda sunt ulcera arte facta, e. g. per setacea, fonticulos, caustica, moxam, unguenta irritantia. Summos enim eorum in medicina usus, quos sola ratio non satis explicat a), experientia persaepe confirmat; atque sub cutis ipsius forte magis, quam partium profundiorum sub affectibus, conspicuam artificialia haec ulcera virtutem non paucos apud homines manifestant. b)

47. Magna inde hujus remedii auctoritas in arthrocace, ischiade nervosa, notaeomyelitide chronica, rheumate pertinaci, impetiginibus, chronica pulmonum, tracheae, laryngis, oculorum, aurium aegritudine, doloribus internis, hemicrania, odontalgia. c)

48. Parotis, glandulae submaxillares et sublinguales, axillares et inguinales saepius cum fausto eventu inflammantur ac suppurantur; crisin enim multorum morborum constituunt.

49. Non inmerito quidam catarrhum magnis laudibus extollunt; saepius enim variam exinde utilitatem percipimus, dum nunc aliorum morborum vices agit, nunc praesentes removet, e. g. cephalaeam, tinnitum aurium, visum depravatum; nunc tandem futuros praecavet. Quem-

---

a) Hoc remediorum genus ob eam causam tantopere mihi prodesse videtur, quod in corporis superficie morbus excitatur interno adeo adfinis, ut hicce sponte ad cutem transmigret, ibique absorbeatur vel exstinguatur.

b) Frank, IV, p. 73.

c) Fonticulos et loca corporis inusta vel erosa a peste praeservare, Hildanus et Plater aliique contendunt.

admodum enim in dies per nares caput purgatur, ita extra ordinem aliquando majori copia, salutari etiam conatu et scopo, tales seroso - mucidi humores eliminantur, ut non modo in genere corpus humanum, sed praesertim capitis partes, quin ipsum cerebrum ab hac impura et superflua colluvie repurgentur. a)

50. Erysipelas, imprimis habituale, frequenter varias corporis humani turbas atque chronicos adfectus extinguit. Sexcentis enim observationibus constat, tali modo affectiones rheumaticas atque arthriticas, cephalaeam, vertiginem, colicam, anginam, asthma convulsivum, dyspepsiam, morbos biliosos, menischesin, subpressionem haemorrhoidum, obstructiones viscerum, imo epilepsiam vel sanata, vel mitigata esse.

51. Criticaque erysipelatis natura vel exinde intelligi potest, quod plures, ex febri gastrico-nervosa decumbentes, erysipelate ad faciem comparente sanatos fuisse novimus. Sed frequentius felicem potius ex parte nobiliori ad minus nobilem ejusdem morbi conversionem exhibere videtur. b)

52. Partium externarum rheumatismus res faustissima esse solet, si accesserit inflammationibus internis rheumaticis. Quin ipsius phthiseos pituitosae per rheumatismum chronicum sanatae exempla habentur. c)

53. Arthritis vera—beneficium est; hunc enim adfectum (podagra, chiragra, gonagra) labem viscerum praecavere, mag-

---

a) F. Hoffmann. — Schneider, tract. de catarrhis. — Piso, morbi ex serosa colluvie. — Cf. aph. 158.

b) Hipp. aph. VI. 35. — P. Frank, III. §. 280.

c) C. G. Selle, de phth. pulm., et Reil, C. d. F. I. p. 216.

norum morborum semina consumere, et ipsa longaevitatis munera promittere—in proverbium abiit, et medicorum confirmat canonem, partium externarum detrimentum esse internarum incolumitatem. a)

54. Arthritici paroxysmo exantlato optime habent, et, raro aliis morbis obnoxii, ad summam saepe senectutem perveniunt.

EXANTHEMATA ET IMPETIGINES.

55. Reminiscimur hoc loco cutanearum efflorescentiarum, quae simplici in omnium sensus incidente documento suam salubritatem testantur, quod nunc in externa, tanquam ignobiliori, corporis regione varia inquinamenta excernunt, nunc irritamenta subtiliora internis partibus infensa derivant, obtundunt, exstinguunt, sicque graves ac periculosos morbos prohibent, aut eorum vices suscipiunt.

56. Sic non raro exanthemati prorumpenti varios adfectus nervosos, gastricos b), inflammationes internas, amblyopias, amauroses, febres intermittentes pertinaces, rheumatalgias etc. celeriter cessisse veridici auctores enarrant.

57. Non inaudita ex ipsis, naturalibus adeo, variolis salutis dubiae aut vacillantis, vel et chronicarum ad-

---

a) Menapius Insulanus, encomia podagrae. — Schrader, de quor. morb. sal. §. 15 ss. — Preisler, de podagra, c. h. conservatrice. Marp. 1730. — Werlhof. — Puchelt, d. Venensystem in seinen krankhaften Verh. Leipzig. 1818.

b) Eruptio circa os et nares phlyctaenosa si plenam crisin non constituit, multum tamen adjuvat. (Crisis subplementaris s. auxiliaris.)

fectionum in meliorem habitum ac in sanitatem florentem permutatio est a). Variolae enim interdum jam scrofulas, impetigines pertinaces, paralyses, phthisin, lippitudinem, surditatem, tumorem chronicum testiculorum, otorrhoeam, coecitatem, asthma, dysenteriam, alia mala radicitus sustulerunt.

58. Et multiplici confirmatum habemus experientia, quod infantes, qui ante variolas valetudine minus firma usi, variis oculorum et aurium defluxionibus, tinea capitis maligna, doloribus artuum, imbecillitate pedum, rhachitide et tabe, nec non adultiores mensium retentione laborarunt, postea integram sanitatem, corporis robur et nutritionem lactiorem acceperint. b)

59. Quem morbum vaccinatione provocare solemus, saluberrimus ille dici meretur, atque certe morbus tutorius princeps. Qua de re non est, cur plura disseram, cum satis ubique vaccinarum beneficia constent.

60. Vaccinas saepe comitatur exanthema maculosum atque papulosum totius corporis, quod, adjuvante vaccina, non raro inveteratas atque pertinaces infantum impetigines radicitus despascitur. c)

61. Et febris vaccinatione facta saepe jam febres intermittentes sanavit. d)

---

a) P. Frank.

b) F. Hoffmann, de febr. var. §. XIV. — Hufeland, Clossius, J. Wendt.

c) Clavier, Hurel et Desormeaux in Bulletin des sciences méd. 1808.

d) Hardege in Journ. v. Huf. XXIII. — Nec ceteri, quos praesidii gratia producere solemus, morbi omni laude destituuntur. Sic enim morbillos insitione progenitos multo mitiores fuisse T. Perzival refert. (Sammlung auserles. Abh. f. pr. Aerzte, III. p. 649). Idem in peste armentorum, nec non hominum tentatum est. Cf. Samoilowitz, Abh. über die Pest. Leipzig, 1785. 8.

62. Etiam a scabie nonnulli salutem sperant, quam nonnisi tum mihi praestare posse videtur, quando inconsulto retropulsa fuit.

Sic sane innumeros morbos hoc fonte oriundos, e. g. asthmata, phthises, vesanias, coecitates, surditates, hydropes, empyemata, menorrhoeas, somnolentias, ischiades, scabie vel sponte, vel per insitionem redeunte sanatos esse facile credo. a) Eosdem enim suo stimulo ad cutem invitando visceribus inmunitatem restituit. b)

63. Miliaria saepe variorum morborum crisin constituunt, arthritidis, erysipelatis, icteri, epilepsiae, paralyseos, lipothymiae, colicae renalis, scrofularum, rheumatismi, blenorrhoeae vaginae et uteri, imo melancholiae; quae mala si non penitus cessaverunt, magna tamen pro parte inminuta sunt. c)

64. Urticariam interdum febribus rheumaticis finem imposuisse, quidam contendunt. Nec desunt, qui aphthas eandem utilitatem praebuisse adfirment. d)

65. Interdum post febres, sub morborum chronicorum decursu, psydracia (critica) cum insigni aegrotantis emolumento contingunt. e)

---

a) Hipp.; Matth. Czanakius, laudes scabiei; Bonifax; Fr. May; G. C. C. Storr. diss. de efficacia insit. scab. in grav. morb. chron. san. Tüb. 1781. Tode, über die krit. Krätze, med. ann. I. 5. — Autenrieth; Hahnemann, Org. d. H.

b) P. Frank, §. 437.

c) Chiarugi.

d) C. P. Moritz, Erfahrungsseelenkunde, I, 2. — C. Sprengel, Hdbch. d. Sem. Halle 1801.

e) P. Frank, §. 440.

66. Hidroa febrile morbi primarii, cujus comes est, decursum vel totum absolvit, vel, ut crisis salutaris, huic finem imponit. a)

67. Pemphigus raro quidem, sed interdum tamen criticam sibi vindicat dignitatem. b) Idem quoque valet de petechiis. c)

68. Tinea capitis et crusta lactea persaepe nil, nisi salutaris depuratio, et ex abundanti ad partes superiores humorum adfluxu (ex vera plenitudine cutanea, glutinisque nutrientis in cute copia) pendens excretio. Ideo plerumque etiam, praesente exanthemate, vix male habent infantes, et morbo superato florida eos exornat valetudo.

69. Inveteratas cephalaeas tinea finitas esse, experti docent, sicuti etiam achores interdum ad propulsandos morbos chronicos fausto cum eventu inserti sunt. d) Et jam Hippocrates e) monet, sub infantum ulceribus multum momenti latere ad avertendam epilepsiam.

70. Impetigines morbis refractariis accedentes multum saepe prosunt, e. g. in rhachitide; inde scabies huic morbo superveniens laudanda. f) Nec parum tali ratione levantur, qui scrofulis laborant.

71. Herpes internos saepe partium dolores et nervosos adfectus hinc inde dispergit. Sicque hypochondria-

---

a) ibid. §. 428.

b) ibid.

c) Riedlinus, cur. med. 839, pag. 580; cf. Sat. med. siles. spec. 4.

d) L. C. Oettinger, problema, an ach. insit. in cur. puer. morb. rebell. tuto tent. poss. Tüb. 1762.

e) De morb. sacr., et N. Tulpius, libr. I, obs. 8.

f) J. Wendt, Kinderkr.

sis, vertigines, cordis palpitationes et salutis alia non pauca incommoda ab herpetis eruptione cessasse narrantur. a)

72. Hypochondriacis solemne est, pruritum in cute, et maculas et pustulas a scabie vix abludentes (psydracia hypochondriacorum) cum ceterorum symptomatum levamine experiri. b)

73. Interdum periodice ad pellem pustulae comparent, quae sub imagine psorae apud illas, quibus menstrua sistuntur, istorum quasi vices ac decursum absolvunt: psydracia periodica. c)

74. Quam leprae formam malum mortuum cognominant, ea si copiose ad pellem efflorescerct, leprae malignioris crisin interdum constituisse visa est. d)

75. Mentionem hic facere liceat de antiquis crurum ulceribus, quae frequentissime in senibus atque mulieribus decrepitis obveniunt, et injusto plerumque vituperio plectuntur. In genere enim innumeras haec ulcera miserias, improbos abdominis cruciatus, hysteriam, hypochondriam, vesaniam, asthmata, phthises, hydropes, amaurosin, cophosin, apoplexiam feliciter praecavisse, neglectim autem habita et exarescentia fatum sub ingruentibus malis istis accelerasse, satis superque constat.

DYSCHYMOSES.

76. Non omnes species hydropis pravae; nam oede-

a) P. Frank, IV., §. 422. — Klose. — J. L. Alibert, description des maladies de la peau. à Paris. 1806.

b) P. Frank, IV.

c) ibid. §. 440.

d) ibid. §. 457 et 461.

ma colli in angina, oedema faciei, colli et extremitatum in secundo stadio variolarum et morbillorum; oedema pedum sub finem morborum acutorum febriumque intermittentium, non raro ex re fuit, atque in hydrope cavitatis alicujus levamen insigne praestat. Nec vana loquuntur autores, dum maniam interdum hydrope sanari enarrant. a)

77. Fausti porro sunt hydropes illi, qui in rheumatismo, dysenteria et aliis morbis, ubi spasmus cutem stringit, haud raro accidunt.

Dein enim humores morbosi ab intestinis organisque nobilioribus ad cutis cellulosam derivantur, ibique deponuntur, qua ratione graviores saepe morbos solvi videmus.

78. Icterum ex istis, quae temporis decursu tolli possunt, causis oriundum pro morbo salutari habere debemus, quod elementa biliosa, quae per vias ordinarias duci in praesentia nequeunt, non in partibus internis retineantur, sed per insolitas vias, utpote urinarias, salivales, cutaneas, ejiciantur. b)

79. Icterus febribus superveniens, hasce nonnunquam terminat. c)

Nec silentio praetereundum, quod aurigo in hepatitide vehementi aeque, ac in peripneumonia biliosa aliisque hujus indolis inflammationibus late diffusis saepius salutaris exsistit.

---

a) Hipp., Boerh., v. Swieten.

b) Wedekind (Rust's Mag. 1824) de ictero.

c) Hipp., aph. IV. 64 et 62.

PROFLUVIA.

80. Insignibus creberrime profluvia tum serosa, tum mucosa et sanguinea coronantur effectibus. Ut enim in febribus inflammatoriis saepe cruor ex naribus, vel ano, vel utero prorumpens, tum principio, saepe illas mox jugulat, tum earundem sub judicio, saepe crisin salutarem constituit: sic etiam fluxus naturales forte alibi subpressos, ad partem licet ab illa distantem, profluvia nunc subplent, nunc sub locali visceris plenitudine aut sanguis, aut serum, aut humor puriformis ex vicinis distillans, vel arte naturam imitante extractus saepe turbas, quod alia vix possent, egregie moderatur. a)

81. Tales ergo excretiones, si nec justo parcius (crises partiales), nec justo largius (hypercrises) procedunt, vario modo prodesse solent; nunc enim derivando, nunc vices agendo, nunc evacuando, nunc consuetudine vel pluribus simul rationibus salutem exhibent. b)

82. Quae regula in genere profluviis spontaneis artificialia postponit, ea cruoris praecipue profusiones adtinere mihi videtur, et licet rariores nunc, propter artificialem sanguinis detractionem frequentius institutam, haemorrhagiae criticae (spontaneae) esse soleant, passim tamen earundem beneficia conspicere fas est.

83. Junioribus quidem manifestiora ex haemorrhagiis commoda emergere constat; sed etiam aetate provectiores haud raro iisdem aut plenam sanitatem, aut multiplicia tamen levamina debent.

---

a) Frank, V. — In genere, si quae evacuari oportet, evacuantur, bonum est, et quae cum constante satis levamine fluunt, salutaria sunt. Hipp. aph. I. 2 et 25.

b) Klose, l. c. p. 146 ss.

84. Quemadmodum in genere sanguinis defluxiones a feminis facilius, quam a viris, perferri vides, sic etiam salubres frequentius in illis observabis haemorrhagias.

85. Plurimae, ex quibus commoda aegrotanti scaturiunt, haemorrhagiae venosis adnumerandae sunt; copiosas enim systematis venosi adfectiones hac ratione nunc prohibet, nunc sanat aut minuit natura medicatrix. a) Verum etiam ex arteriosi cruoris profusione, licet rarior et periculosior esse soleat, varia percipimus emolumenta.

86. Haemorrhagia narium morbos non paucos ex hypersthenia, constitutione plethorica et morbosa vasorum capitis repletione pendentes promptissime dispergit, utpote febrem synochalem, spasmos, inflammationes topicas, praesertim capitis, vertigines, cephalaeas, odontalgias, otalgias, catalepsin, aphoniam, icterum, leucophlegmatiam, maniam, e. i. p. Nec raro alterius secretionis cruentae vices hic fluxus adsumit. b)

87. Similem, licet minorem, haemorrhagia aurium vel oris interdum sibi vindicavit laudem, e. g. in otitide, encephalitide, lipothymia, convulsionibus hystericis.

88. Suo jam tempore Avicenna non omne sputum

---

a) Stahl, diss. de vena portae porta malorum. Hal. — Delius, diss., vena cava, plena malorum. Erlang. 1751. — Fuchs, diss. de affect. c. vena p. connex. habent. Argent. 1718. — Hunter. Marcus. — Hodgson v. d. Kr. d. Art. und Venen. Hannover, 1817. — Kreyssig, d. Herzkr. — Puchelt, d. Venensystem. Leipzig. 1818. pag. 50, ss. — Balling, zur Venenentzündung. Würzbg. 1829.

b) Hipp. aph. V. 33; VI. 10; coac. praenot.: Aetius, tetr. II., 2. I. F. Bauer; I. F. Henkel; F. Hildanus; Boerh. aph.; G. Bagliv. prax. med.; P. Frank.

sanguinis formidandum esse monuit; et sane prae ceteris mulieres haemoptysin impune, imo cum salute ferunt ex omnis aevi testimonio, subpressa e. g. menstruatione. Nec viros ubivis durum praesagium premit. a)

89. Eadem ratione vomitum cruentum, praecipue feminis, nonnunquam prodesse, imo fixis periodis magno cum emolumento reverti videmus. b)

90. Profluvium cruoris ex ano, etiam sat multi, sub dysenteriae exordio proficuum esse solet. c)

91. Venio ad morbum magni nominis, ac innumeris mortalibus vulgarem — haemorrhoides, in quarum laude non minus, quam vituperio a medicis scriptoribus non paucis peccatum est. Cujus morbi quanquam in quibusdam casibus incommoda denegari non possunt, frequens tamen atque miranda salubritas plebi haud inmerito laudatur.

92. Nulla sane est ratio, cur haec sanguinis per anum excretio in viro lautius nutrito ac florido non eadem, quae menstrua mulieri evacuatio, commoda praestet; et siquidem juveni, sanguine turgenti, ejusdem ex nare profluvium confert, non plus periculi in sanguinis per guttur inferius itinere quaerendum est. d)

93. Et profecto haemorrhoides saepe criticam habent dignitatem; nam multos morbos acutos, inflammatorios, biliosos, intermittentes, stagnationes sanguinis in

---

a) N. Tulpius, I. Rhodius, I. N. Pechlinus, M. Alberti, J. B. Albrecht, J. H. Brechtfeld.

b) Hipp. aph. VII., 37; Plinius; Ettmüller; Th. Bartholinus; Günther (Huf. Journ.); C. B. Behrens.

c) Frank, V.

d) P. Frank, V., 624.

pelvi et praesertim in systemate venae portae, morbos pectoris atque capitis a sanguinis congestione, multitudine pendentes feliciter judicant aut praecavent, et in genere omnibus illis, quae fluxum haemorrhoidalem praecedunt, molestiis finem imponunt. a)

94. Experientia duce praesertim hominibus aetate provectioribus maxime conspicuam hoc ex morbo utilitatem enasci novimus. b)

95. Haematuriam haud raro plethoricis, amenorrhoicis, post haemorrhoides subpressas proficuam esse, non pauci scriptores enarrant veritatis amici. c)

96. Stymatosis in urethritide utilitati esse solet, quando multus sanguis evacuatur. d)

97. Metrorrhagia non semper formidanda; prodest enim in metritide aliorumque organorum inflammationibus ex mensium aut lochiorum stasi oriundis, nec minus in mania ceterisque morbis psychicis. e)

98. Illas quoque, lices raras, adnotare lubet haemorrhagias, quae scopo vicario fiunt ex cute (sudores cruenti), oculis (lacrymatio cruenta), auribus, gingivis, oesophago, mammis, digitis, ductibus salivalibus, umbilico, ex ulceribus et cicatricibus reseratis, v. c. in men-

---

a) Hipp. cph. VI. 11, 21; E. Stahl ejusque sectatores; H. Boerh. aph.; Mich. Alberti, tract. de haem.; F. Hoffmann; Reil; Esquirol; Narr, de processu haemorrh. diss. Monach. 1828.

b) Henke, Kinderkr.; Malfatti; J. A. Burchard, Vrat. 1824; Gmelin, Osiander.

c) Cael. Aurelianus, J. M. Nester, Th. Budaeus, J. A. Genzel, G. Franco.

d) Giraudy.

e) Haase, chr. Kr. I., 126; Esquirol, Path. und Th. d. Seelenstör.

struatione s. d. aberrante: plures enim medici talium fluxuum mentionem faciunt, qui fere semper magna cum aegrotantium utilitate acciderunt. a)

99. Haemorrhagiis traumaticis inflammationem, suppurationem, imo gangraenam partium laesarum, infiltrationes sanguinis et alia multa incommoda feliciter saepe prohiberi, corpora peregrina ejici, venena repelli, nemo est, qui neget.

100. Varices fluentes phreniticis, melancholicis atque maniacis prodesse, jam Hippocrates monuit. b) Et recentiorum plurimi c) in eo consentiunt, quod insignia hypochondriacis, haemorrhoidariis atque arthriticis per easdem levamina praestantur, etiamsi nullus sanguis evacuetur. Nec omittendum est, plurimas gravidarum molestias, vomitum, congestiones, angores, pulsationes e. s. p., per varices optime saepius averti.

---

101. Morbosum quidem vomitus phaenomenon esse solet; sed frequenter crisin salutarem morborum gastricorum, saburralium constituit, commotionem in multis morbis d) utilissimam causat, circulum sanguinis vivacio-

---

a) Marc. Donatus, Fernelius, Pechlinus, Sennert, Paraeus, C. Stalpart, Schenk, Musa Brassavolus, Am. Lusitanus, Raymond. — Etiam in hydrope interdum novae excretionum viae oriuntur, quae non semper pro suspectis habendae sunt, e. g. per umbilicum.

b) Hipp. aph. VI., 21; Boerh. aph. 779.

c) Reil, Kreyſsig, Puchelt, l. c. pag. 187. ss.

d) Adnotare hic lubet vomitum vehementem, quo calculos felleos aut renales nonnunquam propellere nititur natura medicatrix.

rem reddit, functiones languentes exstimulat, crisin cutaneam promovet, et imprimis post contagia suscepta haud mediocrem praestare consuevit utilitatem.

102. Laudanda est emesis sub febrium continuarum et intermittentium initiis; evacuat enim materiam febrilem crudam, copiosam, adversam. Concelebrant autores vomitum, imprimis spontaneum, ingestis venenis, in fame canina (N. Fontanus), in dysenteria (Kramer), in lue Hungarica (Ruland), in cephalalgia periodica (J. de Muralto), in dolore dentium (Neuholt), in vertigine (Th. Willisius), in vomitu ipso (Hipp.), atque morbis psychicis (Lorry, Pinel, Mead, Selle, v. Swieten, Esquirol.) Et in diarrhoea rebelli vomitus accedens saepissime salubris; invertit enim motum peristalticum. a)

103. Accidunt hinc inde vomitus periodici, menstrui, annui, cum insigni levamine; prohibent enim colicas, vertigines, cephalalgias, cordis palpitationes, adpetitus dejectiones, dolores in hypochondriis.

104. Et res est nota, multos homines post praegressam iracundiam et terrificam commotionem vomendo valde levari; quemadmodum vomitus symptomatici in hypochondriasi multum sublevant, ac multos principalis morbi insultus praecavent.

105. Nec minora praestat in variis casibus diarrhoea beneficia, quoties nimirum ingluvies et crapula primas vias cibis, quibus hae subigendis sunt ineptae, obplevit, aut quoties vermes copiosi, alia corrupta materia, vel ex viscere vicino, vel ex toto systemate, has alluit, ac tumida hypochondria exhinc subsidere, functionumque in isto libertas redire cernuntur. b)

---

a) Hipp., aph.

b) P. Frank, V. §. 685.

106. Hinc morbi chronici diversi ac difficiles, exemplo obesitatis nimiae (polysarciae), cyanoseos pulmonalis, arthritidis, epilepsiae, melancholiae, maniae, paralyseos, hydropis, surditatis, febrium periodicarum rebellium, obstructionum antiquarum, leucophlegmatiae, porro febris ardentis, inflammationis organorum centralium, ophthalmiae a), e. s. p. subortâ diarrhoeâ fugantur interdum. b)

107. Quae de alvinis fluxibus, plus etiam de lotio valent, undam vitalem constantius repurgante. Ad salutarem hic crisin adtendere Boerhaavius jubet in febre ardente, pleuritide, hepatitide, nephritide, apoplexia. Ubertas etiam observationum est in calculosis, ictericis et imprimis hydropicis: nec non palpitatione cordis laborantes interdum inde salutem vel levamen perceperunt.

108. Diabetes spurius, juvamen praestans, animadvertitur etiam in rheumaticis, hystericis, hypochondriacis, sub dentitione. c)

109. Dysenteria mitior, cruenta, maniacis, lienosis, et podagricis nonnunquam profuit. d)

110. Criticae salivationis tum febrilibus, tum aliis in morbis exempla numerosa habentur. Qui enim ptyalismus sub fine morborum, sine virium jactura majori

---

a) Hipp. aph. VI. 17.

b) Quamvis Hippocrates (aph. VI, 16) damnet in pleuritide alvi fluxum, idque probet Galenus, quod evacuatio per sputum ei convenientior videatur: tamen multa exsistunt de diarrhoeae in hoc morbo salubritate exempla. V. Spindler, obs. 24, 25; Zacut. Lusitani prax. adm. l. I, 14.

c) Diabetes verus raro criticam habet dignitatem, et si evenit, spurius censendus est. P. Frank. V.

d) Hipp. aph. VI. 48, VII, 5; prorrhet. I, 15, 4.

contingit, hic salutarem plerumque illorum per has vias solutionem praedicit. a)

111. Nec pauci sunt, qui larga nonnisi salivatione syphilidem inveteratam aliosque morbos pertinaces b) radicitus extingui contendant, dum e contrario alii medici salivationem nocere potius constanter adfirmant.

112. Aucta super normam functio cutanea multiplicem tum excretione, tum derivatione, tum sympathia c) utilitatem praestat.

113. Sudorum enim in febre ardente, hepatitide, apoplexia aliisque morbis critice fluentium, imprimis post vitia laesae perspirationis, egregia est virtus.

114. Molestum in peste vomitum, alvini fluxus et aliarum dejectionum nimiam vim pulchre sudoribus inhiberi experientia docet. d)

115. Sudores pedum habituales in multis hominibus ceterum sanissimis observantur; quos si subpresseris, maximae inde turbae exsistent.

116. Ergo sudores illi sanitatis sunt instrumenta, quemadmodum etiam sudores periodici, annui, menstrui,

---

a) P. Frank, V, pag. 91.

b) Revera autores de diversis adfectibus hac ratione sanatis disserunt, e. g. febri maligna, hydrope, phthisi, arthritide, scorbuto, epilepsia, ictero, amaurosi, trismo, cephalalgia, rheumate aliisque morbis chronicis a pituita, ut ajunt, pendentibus.

c) J. F. Abel, de phaen. sympath. in corp. anim. consp. Stuttg. 1780. A. H. F. Gutfeldt, über das Verh. d. Wechselerregung etc. Gött. 1803. P. J. Roux, mémoire sur la sympathie etc. Paris. 1809. — A. Wilson, practical observations on the action of morbid sympathies. Edimb. 1818.

d) Th. Sydenham et Th. Willisius aliique.

singularum hebdomadum, spontanei, utilitatem praebere solent. a)

117. Fluor albus saepius, quam vulgo autumant, salutaris: latens enim morbi alterius materies ad uterum ferri consueta, profluvium hic excitat minus illo incommodum; vel causae morbi antiqui, quasi per fonticulum, pars aliqua quotidie difflatur. b)

118. Sic certe variis a morbis foeminas fluor albus praeservat, vel mitigare saltem diversos adfectus observatur, e. g. nervosos, catarrhales, a mensium anomaliis pendentes. c)

119. Blenorrhoea intestini recti relativam nonnullis conservat sanitatem; vices enim agit haemorrhoidum, menstruationis, fluoris albi, rheumatismi, arthritidis.

120. Otorrhoea mucosa vel puriformis non raro odontalgiae, cephalaeae, otalgiae, aliisque capitis morbis finem imponit.

121. Nec diuturnam hic materiae acris retro aures excretionem silentio praeteribo. Frequenter enim graviores scrofularum destructiones tali modo ad superficiem externam proscribuntur. d)

NEUROSES.

122. Quoad morbos s. d. nervosos adnotandum censeo, quod sint, qui per eosdem adfectus ab aliis libe-

---

a) M. Alberti, de sud. spont. diss. — Stahl, Rhodius, B. Sylvaticus, Lentilius, Carlius.

b) Frank, V, p. 210.

c) C. G. Selle, de phth. pulm. Reil, C. d. F. I, p. 216.

d) Wendt, Kinderkr. Wien. 1828. p. 313.

rentur molestiis, dum neurosibus illis solito diutius silentibus, vel casu, vel arte subpressis pessime habeant, revertentibus vero haud parum leventur, et aliis, praesertim contagiosis, inmunes permaneant aegritudinibus. a)

123. Uti saepe fluxus fluxu, vomitus vomitu compescitur, sic interdum dolor dolore sedatur. Quid tandem? Si novus dolor antiquo levior et brevior, nonne salutaris dicendus?

124. Nec solus dolor dolore vincitur; nam aliae quoque adfectiones per eundem aut mitigantur, aut penitus tolluntur. Sensu enim doloris nonnunquam ministeria nervorum prudenter intenduntur, languentes motus excitantur, sic causa morbi magis subigitur, et ad salutares evacuationes vel metastases disponitur. b)

125. Hanc ob causam in morbis soporosis, morte adparente, ischiade, luxatione spontanea, variis adfectionibus nervosis jure dolorem provocamus, cujus in psychiatrice utilitas haud mediocris esse solet. c)

126. Otalgia in paralysi fausta; in genere, si in paralyticis partibus formicatio, dolor, convulsio oritur, bonum est omen.

127. Ipsa epilepsia s. d. acuta, ex inflammatione encephali vel aliorum organorum oriunda, aeque ac illa,

a) Reil, C. d. F. IV. p. 167. — Klose, p. 341.

b) Splenodynia sub finem hepatitidis laudanda, uti vice versa in splenitide hepatalgia.

c) Hipp. epidem. VI, 47; de jud. XII, 7, 8; de loc. in hom. I. 6. — H. Volkamer, Junker, Büchner; J. Frank, tom. II, vol. 1. sect. 1. p. 100. — Gaub, instit. path. §. 675. J. B. Friedreich, H. d. path. Semiotik. p. 191. — Partium externarum dolores sub finem morborum acutorum intrantes exoptatam per sudores vel exanthemata crisin frequenter adnuntiant.

quae eruptionem exanthematum (e. g. variolarum) praecedere solet, utilis interdum fuisse narratur.

128. Sternutatio saepe est salutifera, praecipue ubi fluidum aliquod in cranio effusum tali naturae nisu per nares evacuatur, vel ubi corpus peregrinum, animalcula vias nasales obturant, aut continuo irritant; utilis etiam haec concussio in singultu, hysterismo et in partu ex adynamia retardato, nec non in tussi ferina, cujus vehementes interdum paroxysmi hac ratione finiuntur. a)

129. Natura non solum vires vitales augendo, verum etiam diminuendo nonnunquam sanitatem restituit, quod luculenter constat ex animi deliquiis, quibus haemorrhagiae periculosae, sine artis adminiculo, feliciter sistuntur. Et in morbis cardiacis lipothymiae nil sunt, nisi salutaria naturae conamina, circulationis turbas ad summum gradum evectas componendi.

130. Nec minor earum in luxationibus inveteratis omni arti resistentibus, utilitas esse solet; universalis enim virium muscularium relaxatio plenariam interdum membri dislocati reductionem admittit. In hunc ergo finem arte lipothymias inducimus.

131. Tussis haud raro salutaris est naturae nisus, impedimenta vel irritamenta vias aëreas atque cibarias obsidentia ejiciendi. Nec desunt exempla, ubi vomica in pulmonibus haerens per tussim rupta et ejecta est, subsequente sanatione plena.

132. Nauseam ac vomiturition em arte provocatam et diutius sustentatam multi sunt, qui in neurosibus praecipue collaudent.

---

a) Hipp. aph. V, 35, VI, 13.

133. Surditas, si crisis inminet, saepe salutifera; depositionem enim faustam aut ad tubam Eustachii, aut ad internam externamve aurem factam esse indicat, ac plerumque post breve tempus evanescit. Notandum id in typho, morbillis, scarlatina et arthritide. a)

MORBI PSYCHICI.

134. Quemadmodum morbi somatici psychicis accedentes plenam interdum sanationem adducere valent b): sic mania ipsa e contrario haud paucos corporis morbos sustulit, vel ita inmutavit, ut arte dein sanari potuerint. Idquod valet de haemoptysi, febri lenta, hydrope, tabe, dyspepsia, syphilide ipsa, imprimis vero de morbis in abdomine sedentibus. c)

135. Neque obliviscendum, quod morbi psychici saepissime a contagiis defendunt.

136. Animi pathematum promtissimam saepe in variis morbis pertinacibus utilitatem historia satis demonstrat. d)

---

a) Selle, p. 445. — C. J. Beck, l. c. p. 225.

b) Boerhaave, Frustra, inquit, tentatae per omnia remedia maniae varix, haemorrhois, dysenteria, hydrops, haemorrhagia magna spontanea, febres tertianae, quartanae accedentes — salutaria fuerunt. — Adjungere liceat leucorrhoeam, impetigines, furunculos, abscessus large suppurantes, ulcera, inflammationem parotidum, salivationem, dacryorrhoeam, ephidrosin.

c) Pinel, Esquirol, Spurzheim, Mead, Tissot, Reil, Hill, Klose.

d) Dolores, paralyses, alalia, febres, epilepsia, singultus aliique morbi praecipue nervosi terrore, ira, timore, gaudio repente cessaverunt. Cf. C. E. C. Richter, de san. morb. per morb. Vrat. 1820. §. 4.

ADPENDIX a)

137. Processus post graves morbos depuratorii saepe debilitando terrent: sed vanus est metus: perducunt enim ad salutem.

138. Sic summa interdum convalescentium emaciatio oboritur, et dein plena sanitas.

139. Adeps omnis colliquescere solet post syphilidem, magno cum aegrotantium emolumento. b) Sic etiam in nonnullis mentis alienationibus accidit, ubi consumtà demum omni adipe sanitas intrat. —

140. Tumores lymphatici glandularum salivalium in febribus saepe magno cum levamine accidunt, et praecipue membranas serosas glandularum atque ligamenta occupant, nec non articulum maxillae propter propinquitatem, quae hunc inter et glandulas salivales intercedit, et propterea, quod hic articulus ad apparatum digestionis pertinet. Tales tumores facilius contingunt, si turgor adest supernus aut cephalicus. —

141. Sunt plures homines, quibus saepius per annum, quin morbus ullus praecesserit, epidermis faciei aliarumque partium desquamatione perdatur, sanitate persistente. Quare vix dubitandum, huncce processum nomine depurationis dignum esse.

142. Magna furunculorum super toto corpore frequentia (constitutio apostematosa Werlhofii) non raro in salutem cedit. Et saepe saepius observanda est post varios, eosque graves morbos numerosa furunculorum

---

a) Tradita jam typographo dissertatione paucos hosce diversi argumenti aphorismos addendos esse censui.

b) Werlhof, obs. de febr. Sect. III. §. 8.

eruptio, quae certe depurationis causa facta est, ut scilicet, quidquid materiae morbosae adhuc in corpore latet, evacuetur, e. g. post febres nervosas. a)

143. Nec raro in sanissimis, succiplenis hominibus idem observari potest; quod si depurationis vel defaecationis gratia fieri contendimus, vix multum a veritate aberrabitur.

144. Abscessibus vere criticis multos nervorum morbos, porro gastricos, exanthematicos, febrem puerperalem etc. fauste terminari, imo multos praecaveri, experientia docet. Sic multi homines abscessibus et fistulis circa anum positis laborant, quin sanitas multum turbetur; et phthisicis fistulâ ani vitam prolongari, est res notissima. Nam si ad phthisin disposito fistula ani percuratur, mox plena phthisis evolvi consuevit.

145. Abscessus retro aures, vel in iis ipsis, in naribus et circa palatum cephalalgias pertinaces, cerebri et aliorum organorum inflammationes tollere possunt. b) Ac nati in abdomine abscessus excluserunt saepe calculos, lumbricos, foetus mortuos et alias longorum morborum corruptelas, leucophlegmatias, hydropes, coxae dolores, hernias. —

146. Adpetitus et sitis saepe supra modum vel augetur, vel inminuitur, vel tantum ad certas quasdam res dirigitur; quod praeternaturale quidem, sed salutare nominandum est, quum plerumque nonnisi ea adpetan-

---

a) Icterum nonnunquam furunculis solvi, cl. Haase docet.

b) Hippocrates (Coac.) metastases ad extrema in morbis acutis laudat, e. g. in peripneumonicis abscessus pone aures et in cruribus, adsentiente G. Baglivio (I. 9). — Brendel, resp. Henrici, de abscess. Gött. 1755.

tur, quae prosunt, rejiciantur, quae nocent. a) Ac saepe natura cibum respuit vel potum, quod ex iisdem noxa organismo emersura esset, e. g. in morbis saburralibus. Qui enim saburra laborat, imprimis biliosa, is carnem aversatur, acidula amat; qui febri putrida detinetur, non concupiscit, nisi quae putredini adversentur. b) —

147. Si quis novam adit regionem, brevi post varii eum obruere solent morbi, quibus feliciter exantlatis optima sanitas redit, ac talis corporis habitudo, ut novam coeli temperiem facillime perferat.

148. Ergo si natura morbos s. d. adclimatisationis progenerat, magnum plerumque aegrotanti emergit emolumentum. c) —

149. Percussiones, flagellationes, casus ex alto, terrores, lapsus in aquas, adlisiones ad corpora dura, vulnera, abortus, sternutationes violentae — diversis nonnunquam morbis medelam praebuerunt; sed adeo fortuita horum salubritas est, ut medicos ad imitationis audaciam invitare vix queant. d)

150. Plura tamen horum exemplorum felici sequimur imitatione, ut morbis mentalibus medeamur. —

151. Adipis in corpore humano incrementum nonnunquam salutare esse videtur; defendit enim praecipue

a) Maizier, diss. de instinctu. Hal. 1796.

b) Büchner, de aegr. inappet. sal. et morb. Hal. 1749. Adpetitus ex instinctu salutari in morbis — Hufeland, I.

c) Cf. Umfreville, Lind, Boerhaave, v. Swieten, Schnurrer, Hillary, Fink, Monrad, Bajon, Ulloa, Werter, Krueger, Wilson, Dazille, J. Johnson, Waitz.

d) Multos fortuita sanant, nec ideo remedia sunt. Sen. de benef. IX. 8.

systema nervorum atque sensibilitatem a variis, quae ex charactere nimis venoso (aus erhöhter Venosität) emergunt, noxis; ut ergo pinguescentes plerumque bene habeant, donec ad illum adipositas gradum pervenerit, quem transgredi nequeat. Nunc tandem sanitas vacillat, atque hypochondriasis vel alia istius generis mala evolvuntur. a)

152. Constitutio phlegmatico-venosa fluxionibus pituitosis et adaucta succi enterici secretione haud parum emendatur, quemadmodum s. d. atrabilarii vomitu atque alvis biliosis, nigro-sanguineis saepissime insigniter levantur. b) —

153. Est species anxietatis, quae, ex moliminibus organismi criticis oriunda, faustam morbi judicationem adnunciat; praecedit enim vomitum, diarrhoeam et sudorem criticum, et in genere perturbationem criticam creberrime concomitatur. c)

154. Terrifica saepe in illa perturbatione symptomata concurrunt, junctarum organismi ad crisin absolvendam virium indicia. —

155. Plures infantiae morbi, ex incitato nisu formativo orti, vegetationem superabundantem quasi consumere, functionumque normam restituere videntur, unde exanthematum (e. g. strophuli), ptyalismi, diarrhoeae in dentitionis periodo salubritas. d)

156. Hinc etiam glandularum colli inflammatio, hinc

---

a) F. A. B. Puchelt, l. c., pag. 259.

b) Puchelt, l. c. pag. 273—289.

c) J. Schmid, d. Bedeutung des Schmerzes u. d. Angst. Augsburg, 1829.

d) Henke, l. c. pag. 73.

ophthalmia, tinea, rhinorrhoea, otorrhoea, procedente corporis evolutione, eximiae utilitatis esse solent; derivant enim atque temperant nimiam systematis vasculosi actionem, sicque perniciosum pueris morbum, hydrocephalum acutum, faustissime prohibent. a)

157. Eodem modo spasmi, convulsiones, neuroses, in genere, aetatem infantilem atque puerilem infestantes, sensibilitatem nimis exaltatam inminuere, finibusque suis legitimis coërcere mihi videntur. b) —

158. Summam in febri mucosa laudationem merentur parotitis, furunculus gangraenescens, erysipelas; solvunt enim morbum, ac degenerationes internas avertunt.

159. Taceo morbos ipsa, cui medentur, aegritudine deteriores, siquidem e. g. ab epilepsia dysenteriam, febrem quartanam, ischuriam, arthritidem vagam, coecitatem; a lepra hydropem, tabem, melancholiam; a plica polonica febrem nervosam e. s. p. sanatam esse narrant.

CONCLUSIO.

160. Quum morbos ergo salutiferos existere multorum experientia saeculorum satis superque edoceat, in hisce adfectionibus methodum s. d. exspectativam saepissime locum habere, sponte colligetur.

161. Ceterum in illis omnibus semper et ubique artem medicam proscribendam esse neutiquam contenditur;

a) Henke, l. c. pag. 110, 111; C. J. Beck, d. Krankh. des Gehörorganes. Heidelberg. 1827. pag. 102. ss.

b) Henke, l. c. pag. 264.

saepe enim nonnisi adjuvante medico, et faventibus rerum circumstantiis veram et certam talis morbus salutem adferre poterit.

162. Ne vero unquam medicus obliviscatur, quod pauca tantum horum exemplorum imitari possit. Sunt quidem, quos ars generare valeat, morbi; sed in his jam quaestio oritur, num morbo persanando responsuri sint. Et temerarium foret, excitare morbos, quos rite, pro singulorum temperie, moderari, suoque tempore extinguere raro tantum nobis contingeret.

163. Accendere itaque morbos, raro est medici; sed solemnia naturae in morbis praesidia notare, promovere, et obstacula a sinistro potissimum aëris, victus, motus e. s. p. regimine pendentia removere—nostrum est.

164. Nihil turbet medicus vano metu, nullo errore subflaminet medicatrices naturae conatus, et quiescat potius, tanquam de salutari certus exitu: sin minus, — ut, prohdolor! saepissime — fiet, ut adversus duos hostes naturae sit pugnandum.

EPILOGUS.

»Felix medicus, qui, quid a quovis morbo ac remedio, in quovis naturae statu et ad res circumstantes habitu vel sperandum sit utilitatis, vel noxae metuendum, ex genuinis observationibus perspexerit!«

P. G. Werlhof, de limit. morb. vitup.

POSITIONES EX UNIVERSA MEDICINA,

quas,

ordinis medici tum temporis decano

ANDREA ROESCHLAUB,

aa. ll., philos., med. et chirurg. doct., etc.

et

praeside

ANDREA BUCHNER,

phil., med. et pharm. doct., profess. p. o.,

facult. med. ass., plur. acad. socio,

pro

summis in medicina, chirurgia et arte obstetricia

honoribus rite obtinendis

die 28. Aug. 1828

publicae disputationi obtulit

M. J. STREHLER.

---

1. Systema nervorum est sol organismi.
2. Omnis nutritio ex sanguine.
3. Ex hyperbiosi complures morbi.
4. Nonne recipienda in pathologiam diathesis fungosa?
5. Quarundam partium actio periodice manifesto increscit et decrescit.
6. Inde typus morborum periodicus.
7. Febris continua continens non existit.
8. Hygieine indicationem dispositionis et causae impleat oportet.
9. Jamata aut in organismum, aut in pseudorganismum, aut in utrumque agunt.
10. Pus laudabile et inlaudabile adhuc incompertum.
11. Non omnis tetanus a notaeomyelitide.

12. Plus plerumque in aegro natura, quam sexcenti medici, praestat.
13. Plurimi mentis morbi a civilisatione s. d.
14. Diagnosis physiognomica summi momenti.
15. Medicus plus doceat, quam scribat!
16. Acupunctura cordis rejicienda.
17. Jam Romani lue venerea laborabant.
18. Primum anthelminthicum fames.
19. Medicamenta in corpore solvi, haud semper opus est.
20. Abstinentia, quies, silentium — magna remedia.
21. Optimum expectorans venaesectio larga.
22. Asthma Millari nil, nisi spasmus laryngotrachealis.
23. Vix accidit humeri luxatio, nisi deorsum.
24. Primum ad ani fistulam remedium ligatura.
25. Castratio sanitatem evertit.
26. Glaucoma nil, nisi pessima amaurosis.
27. Plurimae cataractae ex lentitide.
28 Menstruatio est praeparatoria uteri ad graviditatem exercitatio.
29. Lapis Lydius sanitatis feminarum sunt menses.
30. Placenta raro arte solvenda.
31. Frequentior in pelvi ampla capitis incarceratio.
32. Abeant ad malam crucem omnes sellae obstetriciae!
33. Si caput ex utero jam egressum positionem frontalem retinuerit, in perforatione unica salus.
34. Clunibus praeviis a forcipe abstinebis.
35. Dolores parturientium ab ore uterino exeunt.
36. Est vaginae vis expultrix.
37. Hydrostatica pulmonum docimasia ceteris methodis praestat.
38. Laesionum lethalitas aut absoluta, aut per accidens inducta.

39. Rarissima in animalibus domesticis per vomitum et haemorrhagias crisis.

40. Maximi ut in hominum, sic praecipue in animalium curatione uroscopia momenti.

QUAESTIONES INAUGURALES:

D. Praesidis: De auro.

D. Promovendi: De menstruatione.